Q. D. B. V.

ÆGRAM

LOCHIORUM

FLUXU NIMIO

vel potius

HÆMORRHAGIA UTERI

LABORANTEM

Conſenſu Illuſtris Facultatis Medicæ Jenenſis

SUB PRÆSIDIO

JO. HADRIANI SLEVOGTII

Hæreditarii in Ober-Roßla/

M. D. Anat. Chir. & Bot. P. P. & Phyſ. Provinc.

Patroni, Præceptoris & Promotoris ſui

colendiſſimi

loco ſpeciminis INAUGURALIS

PRO LICENTIA

DOCTORALES IN ARTE MEDICA

HONORES

impetrandi

publico Eruditorum examini exponet

WILHELMUS CHRISTOPH. PAULUS PETZ

Neoſtadienſis Francus

In Audi orio Majori horis ante & pomeridianis

Jenæ d. 22. Decembr. M DC IC.

LITTERIS NISIANIS,

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FERDINANDO
S.R.I. Principi in Schvvarzenberg,
Domino in Gimborn, Murau, Wittingau & Frauenberg, Equiti ordinis aurei Velleris,
Invictiſſimi Imperatoris noſtri
à Conſiliis ſecretioribus, Camerario,
nec non
Auguſtiſſimæ Imperatricis
Magiſtro Aulico Primario &c. &c.
HEROI FORTISSIMO, PIO, FELICI, MAGNANIMO,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,
REGIMEN PACATUM, POSTEROS FELICES,
FATA UNDIQUAQUE PROSPERA ET EX VOTO FLUENTIA!

SERENISSIME PRINCEPS

Domine Clementiſſime

PUto neminem eo rubore frontis pudoreq́ animi ad Tuæ ſortis Mortalem verba unquã feciſſe, quali ego (æquitate ſic poſtulante) alloquor Celſitudinem Tuam. Octo annorum onere diſten-

debatur apud Apulejum illa, nec poterat parturire; ego pluribus annis Munificentia Tua uſus hunc primum emitto fœtum dicam, an abortivum ejicio, certe quod manibus tanti Principis excipiatur, modis omnibus indignum. Tam lenti hujus moliminis complures poſſem allegare cauſas, at malæ culpæ meæ nil omnino prætexere, quo obligatior abeam ignoſcentiæ Tuæ. Diſſertationis exilitatem neſcio an excuſandam habeam; paucorum verſuum, *inquit Seneca*, liber eſt & quidem utilis laudandusque, annales Tannſii ſcimus quam non de-

cori

cori ſint. *Quin & negotia Tua in ſalutem vergentia Germaniæ, magnarum molium oculi feriis non Te patiuntur præſtringi, nec quantum ſed quid qualeque offertur, aſſueviſti expendere. Accipe itaque hoc, quicquid eſt ſpeciminis academici, animumq; reſpice offerentis non ipſum quod offertur.* *Suſcipe* Decus Heroum, Idea Principum, *puſillum hoc devotionis meæ pignus, quod ad Seren. T. pedes provolutus, ceu tabellam confeſſoriam humillima animi ſubjectione depono. Ego inter ſubjectiſſimos Cultores Tuos, gradu & cenſu pleris q; impar, animo & affectu*

 vix

vix ulli ſecundus nullum præter hoc majus donariũ afferre poſſum quam votum: Scil. DEUM O. M. *Regnorum Præſidem, Regum & Principum cuſtodem ex intimis veneror ſenſibus atq́ obteſtor, ut Serenitatem T. quam diutiſſime & feliciſſime rebus humanis & intereſſe & præeſſe jubeat, ac nonniſi poſt noſtra funera fato ſuo glorioſe defungi, beatisve aggregari Majoribus, velitq́ a* TUA SERENITATE *ſuperſtites eſſe cunctis ſeculis, qui & nomen & gloriam* SERENISSIMI *Stẽmatis referant atq́ in natos natorum propagent. Sic vovet*

Sereniſſimæ Celſitudinis T.

omni obſervantia ac fide addictiſſimus.

WILH. CHRISTOPH. PAULUS PETZ,

Neoſtad. Franc.

DIe alte Schuldigkeit ſo das Gemüthe träget
Hat izt Befehl gethan zu ſezzen diß Gedicht
Die dir ein guter Freund vor dein Geſichte leget
Wiewohl die Zierligkeit denſelben ganz gebricht/
Doch kan ein gütig Hertz ein großes überwiegen
Bißweilen nimmt man wohl nur halbe Zinſen an/
Oft muß ein Weniges den Gläubiger begnügen/
Wenn ſonſt ein Schuldener nicht alles zahlen kan/
Oft dient ein kleines Wachs zu einen großen Zeichen/
Und deſſen Unwehrt wird zum groſſen Wehrt gemacht/
Drüm nimm auf gleiche Ahrt was izt zu überreichen/
Was durch mein Hertz und Hand dir ſchuldig wird gebracht.
Denn da du werther Freund nun theure Proben zeigeſt/
Von edler Wiſſenſchaft und rarer Trefligkeit
Indem du ſelbſten izt Apollons Thron beſteigeſt/
Und Hygiena wird nunmehr von dir erfreut.
So kan es gar nicht ſeyn daß ich nun ſolte ſchweigen/
Obgleich kein nettes Wort aus meiner Feder flieſt/
Und kan ich gleich nicht hoch mit meinen Sinnen ſteigen/
So weiß ich daß man auch wohl ſchlechte Sachen lieſt.
Der Himmel gebe dir viel tauſend Wohlergehen/
Es müſſe ſtets dein Rath von Glück begleitet ſeyn/
Der Seegen wolle ſtets zu deiner Seiten ſtehen/
So wird dir deine Cur viel Geld noch bringen ein.

Mit dieſen ſchlechten doch wohlgemeinten Zeilen wolte dem Herrn Doctorando, als ſeinem Hochwehrteſten Freunde ſchuldigſt gratuliren

J. T. Schmid/ M. C.
Quedlinburgenſis.

Am-

AMplas ingenii dum laudes undique tollit
Clara cohors doctûm, noſtras tacuiſſe juvabit
Muſas? infra tuum meritum ne judicer ultro
Dixiſſe, & fiam multis habear que malignus,
Ut vires prodam curtas. Hæc unica reddo
Res, quascunque poteſt Frater, Tibi comprecor almas,
Sic Tibi continget multorum ferre laborum
Præmia. Sic famæ laudes ſic commoda creſcent.

Hiſce dilectisſimo fratri ſuo accinebat.

JO. CONRAD. PETZ,
M. St.

HISTORIA.

FOemina 22 annorum, habebat corpus procerum, & macilentum quidem, ſed tamen ἔυσαρκον, venasque amplas & cutem raram, ut ſanguineo cholericæ habere ſolent. Hinc quando laboribus domeſticis pariter ac ruſticis ſeſe ſtrenue exercebat, ſudabat promte & largiter, menſes vero mediocres, nec ultra triduum durantes, experiebatur. Cibos condiebat aromatibus & multo ſale, raroque diem ſine vino præterire ſinebat, imo nec a frumenti ſpiritu, mane rus abitura, abſtinebat. Hæc, die 20 Auguſti puellam enixa, die 22 extra lectum verſabatur, & modo conclave repurgantibus, modo epulas apparantibus, usque ad adventum convivarum, operam ſuam commodabat; cum quibus ad me-

diam noctem multos ſermones miſcens, inter riſus & jocos promiſcue oblatos deguſtabat, cyathumque unum & alterum vini in mariti, filiolæ recens natæ, & amicorum ſanitatem, ſuum vero proprium detrimentum evacuabat, nec ante diluculum ſomnum capiebat. Die 23 erat ſolito calidior, & in iliis atque dorſo dolores lancinantes, cum intercurrentibus horripilationibus patiebatur: quibus adſtantes bonum hauſtum vini calidi, mace & cinamomo conditi, opponebant, perſuaſæ, ejusmodi poſt partum dolores utiles non minus, quam neceſſarios puerperæ eſſe, ut uterus exactius purgaretur. Sed paulo poſt inſolita quoad uteri purgamenta, hactenus decenter, & mole, in duobus antecedentibus puerperiis conſueta, ſe habentia, mutatio accidebat. Cum enim lochia heri ſub lotturæ carnium ſpecie prodire incepiſſent, jam horum loco ſanguis, ab initio quidem grumoſus, circa veſperam autem floridus erumpebat, & per ſequentem noctem in notabili copia effluebat. Die 24 fluxus, qui tempore matutino, & durante ſomno trium horarum remiſiſſe videbatur, accedente meridie, cum puerpera, alvum exoneratura, e lecto ſurgeret, cum vehementibus ventris torminibus

copio-

copioſiſſimus redibat. Nox erat turbulenta, & fere ſine ſomno, die 25 mane evanuerat lac, mammæ flacceſcebant, facies pallebat, corpus tremebat, ægra conquerebatur de obſcuritate viſus, & capitis rotatione, nihil appetebat, ſubmiſſaque voce auxilium a Medico expetebat.

RESOLUTIO.

§. 1.

Ex frontiſpicio hujus diſſertationis patet, nos affectum præſentem potius *uteri hæmorrhagiam* p. n. quam *lochia nimia* nominare malle; cujus appellationis rationem haud difficulter dabimus, modo quænam lochiorum, bene vel male conſtitutorum, indoles ſit, & quomodo hæmorrhagia ab his, & aliis naturalibus & præter naturalibus uterinis fluoribus diſcrepet, explicaverimus.

§. 2.

Lochia dicuntur, ſunt verba excell. Dn. D. Brunonis, Patroni & Præceptoris mei honoratiſſimi, in Lexico, *quæ a puerpera, poſt excluſum fœtum & ſecundinas exeunt, alias purgamenta dicta. Suntque revera τὰ καταμήνια, ſive ſanguinis menſtrui, retenti tempore conceptionis, reliquiæ, a quibus ſola ratione diffe-*

runt, quod hæc ante partum, illa poſt partum ſic appellentur.

§. 3.

Differunt itaque *lochia ab hæmorrhagia uteri* (1) *ratione materiæ.* Sunt enim ea ſanguinis pars, quæ in plerisque fœminis, tanquam minus neceſſaria corpori, extra graviditatis ſtatum, menſium nomine, nunc parcius, nunc largius excerni ſolita, poſt conceptionem in uteri poros & vaſa, procul dubio in aliquam, Phyſiologis hactenus incognitam, fœtus utilitatem coacervatur, unde *communiter* per placentæ avulſionem & poſt hujus atque embryonis excluſionem, primo ſub cruoris, deinde ichoris facie egeritur. Sanguis autem, quem noſtra per triduum perdidit, recens ex tota maſſa, & purpura ſua adhuc præditus venit, fluidusque partim, partim, ob aliqualem moram in uteri cavitate, a partu adhuc admodum rugoſa, coagulatus & grumoſus ejicitur.

(2.) *Ratione quantitatis:* Quippe lochia nunquam menſuram naturalem excedunt, quamvis in magna, imo maxima copia excludantur; nec, ſi omnino aliquid præter naturam quoad molem patiuntur, aliter tamen, quam in defectu peccare ſolent;

ſent: quia ſanguis, durante geſtatione in utero collectus, quamprimum lochiorum appellationem acquirit, claſſem *excrementorum inutilium*, & ſimul *rerum p.n.* intrat, quarum expulſio nimia æſtimari nequit, dum penitus abeſſe debent, & quicquid earum remanet, cauſæ morbificæ naturam induit, corporique noxium evadit. Contrarium accidit in omni alia ſanguinis per genitalia effuſione, absque *menſium*, *lochiorum*, *aut motus alicujus critici* charactere contingente; quæ licet mediocris ſit, ideo tamen nimia dici mereatur, quia, extra tres iſtos allegatos caſus, nihil omnino cruoris ex utero prodire par eſt.

(3.) *Hæmorrhagia ut plurimum dolorum plena eſt*; quia ſanguis non tantum mole nimia & orgaſmo, vaſa ſubſtantiamque uteri replendo, ſed ſua ſimul acredine partes ſenſiles vellicando, dolorificis ſpaſmis anſam præbet, quibus natura ad ejectionem moleſti ponderis abutitur, ut non ceſſent, quamvis pleno rivo vitales humores exturbentur, donec exinanita vaſa ceſſatio facultatis vitalis & animalis ipſiusque vitæ excipiat, aut per apta remedia motus p. n. humorum ac fibrarum motricium temperetur, & mare microcoſmicum tran-

quilletur. Purgamenta partus autem, *ſibi relicta*, & *qua talia*, ab utero, blande ſeſe contrahente, & non modo poſt primum partum, ut nonnullorum fert opinio, ſed poſt reliquos etiam ſine torminibus exprimuntur; niſi forſan, ab errore diætetico, ſanguis grumoſus aut acris redditus fuerit; ad cujus protruſionem omnino exquiſitiore, & triſtem ſenſum inferente coarctatione uteri & vicinarum partium, motum tonicum alias exercentium, opus eſt; quæ tamen naturalis iterum & indolens evadit, quamprimum hæſitans in poris & vaſis fluidum locum mutaverit. Id quod fit, ſi medicamenta cum externa, fottus, litus, fumi; tum interna, balſamica, blande reſolventia, diaphoretica, bezoardica, imo & anodyna uſurpantur. Neque enim, quod clariſſimus quidam Practicus putat, dolorum ejusmodi mitigatio in alterum vel tertium diem differenda, & tunc demum medicamentum quoddam, ex rad. conſolidæ maj. nuce moſch. nucl. perſicor. ambra, aut caſtoreo offerendum eſt; quia, eodem Autore fatente, dolores poſt partum haud raro acerbiores ſunt, quam enixum comitantes. Rectius igitur de talibus judicat Sylvius, cujus verba ex prax. lib. 3. c. 11. p. 558. excerpta, huc adſcribemus:

mus: *Falluntur*, inquit §. 2, *Medici, quotquot, mulierculorum quarundam ſententiam ſecuti, arbitrantur, idcirco utiles puerperis dolores hoſce, quod ab ipſis promoveatur lochiorum effluxus; cujus contrarium ſæpius evenit, ut nimirum, urgentibus licet doloribus illis vehementer, non fluant tamen lochia.* §. 3. pergit: *Adde, quod multis fœminis nulli ſint tales dolores, fluant nihilominus lochia, & quidem longe commodius, quam ſi urgeant notati dolores.* & §. 4. *quoniam negligitur & impeditur a multis dolorum dictorum, tanquam utilium, curatio, idcirco tam ſæpe eorundem neglectus cauſa fuit necis multis puerperis.*

(4.) Lochia bene &, pro re nata, affatim fluentia corporis εὐεξίαν & ſanitatem integram poſt ſe relinquunt; ſecus ac poſt hæmorrhagias p.n. fieri ſolet; a quibus corpus inſigniter debilitari, vitæque inſidias ſæpenumero periculoſas ſtrui, ſi vel maxime nullo alio exemplo probari poſſet, præſens tamen ægra planiſſime evinceret.

(5.) Lochia tantum occaſione partus, ſive is naturalis & tempeſtivus, ſive præternaturalis & abortivus ſit, fieri, etymologia docet, τῇ λόχῳ, *puerpera*, ταῖς λοχίαις καὶ τοῖς λοχείοις originem præbente: exeuntque, ut ſupra indicavimus, *communiter qui-*

dem

dem poſt fœtum, interdum vero bona pars eorum antecedit eum atque comitatur; prout ſcilicet placenta citius vel tardius ab utero abſtrahitur. Hæmorrhagia contra ea omni tempore accidere poteſt. Ut proinde haud levi diligentia Practicus opus habeat, qua hanc ab illis diſtinguat, ſi contigerit, *fluxum præternaturalem ipſum naturalem ſequi*, ut in noſtra fieri cernimus; aut *utrumque conjungi*.

§. 4.

Conjunctionum ejusmodi exempla varia in diariis quotidianæ ſuæ Praxeos annotavit D. D. Præſes; ubi imprudenter feſtinantes obſtetrices, ex qualiumcunque dolorum præſentia, aut effuſione aquoſi humoris uterini, embryones exitum moliri concluſerunt, gravidisque pariendi labores & conatus imperarunt, adeo infauſto cum ſucceſſu, ut illi, ad egreſſum nondum diſpoſiti, in obliquum contorti ſuffocatique, hæ autem, ex intempeſtiva ſeparatione placentarum, vehementibus hæmorrhagiis ſubjectæ imo non paucæ plane enectæ fuerint. Inter quas inprimis mihi nominavit fœminam juvenculam, Uxorem mercatoris Jenenſis, quam ex vitioſo ſitu infantis, brachium ex matrice porrigentis, jam per ſedecim horas difficulter, cum magna

cruen-

cruentatione parientem, & admodum debilem deprehendit, ut, cum durante extractione fœtus, largo ferventis ſanguinis imbre operantis manus perfundiſſet, poſt 4 horarum lapſum fatis ceſſerit; quia una cum lochiis, i. e. ſanguine hactenus circa uterum collecto, & naturaliter ad lentam aliquot dierum excretionem deſtinato, etiam maxima pars reliqui, ad vitæ ſuſtentationem neceſſarii, cum impetu, inſtar torrentis eruperat. Qui tamen cum vita retineri potuiſſet, modo obſtetrix, haud ultra partus, recte ſuccedentis, encheireſes ſapiens, omnem moviſſet lapidem, ut vel ſtatim, in partus principio, ineptum poſitum infantis correxiſſet; vel ſaltem citius, & antequam Medicus altero demum die vocaretur, uterum ab eodem liberaſſet, ut is contractione ſua oſcula vaſorum compreſſiſſet, nimisque ruenti ſanguini obicen poſuiſſet.

§. 5.

Omnis enim ſpes non modo in ſimilibus caſibus, ſed illis quoque, ubi ante abſolutum geſtationis tempus hæmorrhagia uteri ex interna vel externa cauſa oritur, quæ placentæ ab utero intempeſtivam ſeparationem indicat, in manuali operatione & ſolerti fœtus ad exitum ſollicitatione ſita eſt; ut ex

Jacobo Guillemeau, & experientiſſimi Fr. Mauriceau, (quem κατὰ πόδα ſequitur Solingenius) lib. 1. de ſympt. & morb. gravid. c. 21. numerumque centenarium ſuperantibus exemplis, ſeptingentis illis obſervationibus ſur la groſſeſſe & l' accouchement des femmes, interſperſis diſcimus. Ut proinde Craanius haud æque imitandus ſit, qui præter obſtetricis manum, etiam pro uſu interno, & promovendi partus gratia, ſimul borracem & crocum commendat; cum talia ſanguinem magis moveant, & novos uteri conatus ſive dolores excitent: quos tamen non minus parienti periculoſos, quam embryulciam tunc exercenti admodum moleſtos eſſe, illi teſtabantur, qui unquam manum operi admoverunt.

§. 6.

Sed redeundum eſt in viam, & porro oſtendendum, qua ratione Practicus omnem errorem præcavere, certusque eſſe poſſit, an lochia vocari debeant humores, qui prodeunt, an vero hæmorrhagia p. n. reſtinguenda ſit. Sciet vero hoc ipſum, modo reſpexerit, (1) ad fluxum menſium, an copioſius, an modicus, an nullus prorſus ante conceptionem fuerit. Quod ſi enim, autore Sylvio,

prax.

prax. lib. 3. c. 8. p. 5503. *ut plurimum fœminæ, quibus copioſa fluunt menſtrua, copioſum quoque ſolent pati lochiorum fluxum, & contra parcum, quibus menſtrua fluunt pauca, ut videas lochia fluere quibusdam per dies 2, 3, 4, aliis per dies 8, 10, aut plures*, recte & cum approbatione experientiæ concludetur, menſibus carentes a lochiis quoque immunes fore. Variant autem purgamenta pro conditione vitæ generis, ætatis, & inprimis regionis. &c. unde in calidioribus locis, ipſo Hippocrate teſte, ad 30 dies & ultra continuantur: de quibus vid. Sennerti prax. lib. 4. part. 2. ſect. 7. c. 2. p. 453. (2) Quærendum, an jam multum ſanguinis in ipſo partu excretum ſit, aut puerpera, non obſtante conceptione, ſtato tempore lunare tributum pependerit? Sicut enim non dicendus lochiorum fluxus ſuppreſſus, vel nullus, quando jam ante fœtum, vel cum eo copioſius effluxit ſanguis, aut durante geſtatione omne ſuperfluum egeſtum fuit, ac ideo poſt partum parum vel nihil exiit: ita in plethoricis copioſior egreſſus lochiorum non ſtatim pro effuſione ſanguinis p. n. habendus eſt, ubi inter enitendum nihil, vel juſto minus fuit excretum, & menſes antea prorſus ſiluerunt. (3) Conſiderandæ vires; quod ſedulo in-

culcat Sennertus, l. c. 4. pag. 456. hæ enim, quamdiu integræ permanent, fluxum, naturæ legibus conformem, imminutæ autem & pereuntes difformem eſſe ſignificant.

§. 7.

Ex his patet: (1) Vix poſſe fluxui lochiorum certos atque ſtatos dies aſſignari, ſed eos admodum incertos atque variabiles eſſe. Evincunt hoc ipſum ſupra allegatæ rationes, & quotidianæ obſervationes; quibus inſuper Hippocratis auctoritas accedit, dum lib. de nat. pueri, §. 10. edit. Lind. & ſeqq. puerperas, non ſolum pro ratione ætatis ſuæ, ſed etiam prout vel marem vel fœmellam ediderint, diverſimode purgari docet. Sunt itaque cum grano ſalis accipienda verba Sydenhamii, quando p. 7 9. opuſculorum, edit. Lipſiens. ſub titulo *immodici lochiorum fluxus*, absque ulla limitatione ita loquitur: *Fluxum lochiorum naturalem tria conſtituunt, ſanguis ſcil. purus, copioſus, per triduum primum fluens; dehinc ſanguis aquoſus, loturæ carnium craſſiori ſimilis, per quatriduum præter propter durans; hinc poſtmodum materia viſcoſa & mucilaginoſa, pauco aut multo ſanguine permiſta, per quinque aut ſeptem dies prodiens, & ſic porro ad menſis finem.* (2) Locum Hip-

Hippocratis, lib. cit §. 12. *χωρέει δὲ αἷμα οἷον ἀπὸ ἱερείου*, *procedit autem ſanguis* (in partu) *velut in victima, ſi ſana eſt, & ſana futura eſt mulier*; non de *quantitate* accipiendum eſſe, quaſi torrens cruoris ex mactato tauro ſcaturiat; cum experientia univerſalitati hujus aſſerti contradicat: ſed potius *qualitatem* ibi & conſiſtentiam fluidam, floridumque colorem, ſanarum ſanguini competentem, ſignificari. (3.) Haud levem ex hiſce obſervationibus utilitatem in Practicum redundare; ne ſcil. fruſtra puerperas medicamentis exerceat, & puerperia, quæ naturaliter parce fluunt, ceu imminuta, remediis pellentibus promovere, largiora autem, ceu nimia, ſupprimere ſtudeat; & hoc pacto ibi, hæmorrhagias p. n. concitando, hic vero excernenda in corpore accummulando, adverſus medendi methodum peccet. Imo cum fœminas dari, ſupra diximus, quæ, brutorum more, nec menſes, nec lochia edunt, in talibus certe ineptiſſime aliquid tentaretur. (4) Noſtram ægram *non lochiis nimiis*, (talia enim dari, antea negavimus) *ſed hæmorrhagia potius uterina*, hoc eſt, *præter naturaliter magna, eaque intempeſtiva, & proinde periculoſa ſanguinis per uterum excretione laborare.*

 §. 8. Quam-

§. 8.

Quamvis enim ex temperamento, & habitu corporis, veniſque prominentibus, & diæta quis eam inter πλυαίμας referre, & proinde ad largiora lochia diſpoſitam æſtimare vellet: obſtat tamen non modo mediocritas menſium, quæ indicat, corpus ob labores & inde ortos ſudores, non æque adeo abundaſſe ſanguine, ut ejus multum per menſtruas purgationes dimittere, aut poſt imprægnationem, ad futura lochia, accumulare potuerit: ſed contrarium ſimul perſuadent jam repetitis vicibus, haud ultra triduum, ſub cruoris ſpecie, manantia purgamenta; quibus tertium hunc partum excipientia prorſus quoque ſimilia fuerunt, ut jam loturæ carnium conſiſtentiam aſſumſerint, vix tres vel 4. dies adhuc, cum ſumma euphoria puerperæ duratura.

§. 9.

Eſt igitur nova hæc ſuborta hæmorrhagia uteri omnino inſolitum naturæ, perverſe, & in perniciem totius machinæ agentis, molimen, in ordine rerum p. n. *ſymptomatibus excretorum* adnumerandum; cujus τὸ ὅτι adeo clare ex hactenus allatis innoteſcit, ut ſignis diagnoſticis nullatenus indigeat; cum id ſenſus, viſus ſc. tactusque judicio ſubjiciatur.

§. 10. Solo

§. 10.

Solo quippe nomine audito, ſtatim, præter *ſubjectum ut quo*, uterum ſcil. ſimul materia excreta, modusque excretionis intelliguntur. Prout enim ἀπὸ τοῦ αἵματος, *ſanguine*, & ῥέω, *fluo*, originem habet, reſpectu materiæ, a *fluore albo*, ubi ſeroſa mucoſaque colluvies peccat; reſpectu modi prodeundi autem, a *ſudore cruento* & *ſtillicidio ſanguinis* dignoſcitur: cum hujus egreſſus in his lente & cum mora, in illa autem ἀθρόως καὶ βιαίως contingat.

§. 11.

Subjectum ut quo diximus eſſe uterum; quatenus arteriis non ſolum, & venis, vaſisque lymphaticis eſt refertiſſimus, quæ largam humoris molem huc afferre & relinquere poſſunt; ſed quoq; poroſiſſima ejus ſubſtantia, receptioni humorum aſſueta, nondum poſt partum ita ad priſtinam magnitudinem rediit, quin novus adveniens liquor, ejus poris reſpondens, facile introitum inveniat.

§. 12.

Eſt autem hæmorrhagiæ hujus p. n. cauſa immediata efficiens uteri & vicinarum partium ſpaſmodica contractio, cujus ope vaſa atque pori quaſi emulgentur, ut ſanguinem affatim plorent.

Hanc

Hanc producit irritatio fibrillaram ſenſibilium, & cauſæ mediatæ proximioris locum obtinet: vel potius ſanguis, quamvis reſpectu ipſius fluxus, ceu materia, quæ extruditur, mere paſſive ſeſe habeat, quantitate tamen, qualitate atque motu peccans, eatenus efficienter ad motuum ſpaſmodicorum excitationem concurrere videtur, quatenus conceptacula ſua tendendo, pungendo, rodendo, *archæum, ſeu ſpiritum vitalem, ſive naturam*, vel, ſi mavis, *animam*, per organa mechanice operantem, providique præſidis & conſervatoris totius machinæ munus gerentem, commovet, ut moleſti hoſpitis, quem alia ratione domare nequit, excluſionem intendens, vigorem tonicum motricium fibrarum, motui locali ſanguinis inſervientium, multiplicet, donec per apertam portam, *plus quam ſufficit*, ejus expellat.

§. 13.

Indicant hunc conatum naturæ horripilationes & dolores illorum, dorſi atque ventris, qualibus ea alias ad fœtus, imo ſæpe etiam ad lochiorum ejectionem uti ſolet. Et hinc eſt, quod cruentatio hæc p. n. nondum ceſſet, quamvis magna moles ſanguinis excreta ſit; quia acrimonia ejus nondum ſubjuga-

jugata eſt, quæ hoc loco etiam in pauca quantitate ſatis eſt, ad eundem motum fibras porro concitandi, cui hactenus in promovendis partus purgamentis aſſuetæ ſunt.

§. 14.

Gerit itaque, certo reſpectu, partus, affectum præſentem præcedens, & uteri ab eo relicta ſingularis conditio, quaſi vices cauſæ ſine qua non, quod natura huc potius, quam ad ſuperiora, molimina ſua excretoria direxerit; quæ eadem facilitate, niſi per inferiores vias exitus patuiſſet, in ſuperioribus aliquid tentaſſet, quorſum alias frequenter vergit, ut modo per nares, modo per pulmones & hæmoptyſin, modo per vomitum, aliaque minus uſitata loca, mole aut acrimonia ſibi infenſum ſanguinem ejaculet.

§. 15.

Non diſputabimus in præſentia, an *arteriæ* potius, an *venæ* materiam excernendam ſuppeditent; & an per ἀναςόμωσιν, διαίρεσιν, vel διαπήδησιν ex *collo uteri æque, quam ejus cavitate* iſta veniat. Sicut enim nihil obſtat, quo minus in ſtatu naturali ſanguis menſtruus, non ex ſola vagina, ſed ipſo quoque utero procedat, & in noſtra quidem ægra de

D hoc

hoc nemo dubitat, qui ex poris, poſt abruptas papillulas placentæ, in eo relictis, eadem facilitate jam ſanguinem præter naturaliter manare concedit, qua hactenus lochia fluxere naturaliter: ita forſan nec colli vaſa per triduum elapſum ſicca manſerunt; (ſi unquam olim ſanguinem ſudare conſueverunt,) quia hactenus natura humores cum impetu ad genitalia adegit.

§. 16.

Dimiſſus autem fuit procul dubio omnis cruor per διαπήδησιν, ut non æque de reliquis duabus ſpeciebus cogitare debeamus. Quippe videtur nobis anaſtomoſis obſcurior, quam ut eam clare intelligere queamus: diæreſis autem ideo vix admitti poteſt, quia tunicæ vaſorum admodum tenaces ſunt, & ruptio earum majorem, quam hoc loco concipere licet, violentiam requirit. Deinde ſi grandiora vaſa uterina rupturam paſſa eſſent, cruor certe in pelvim & abdomen rueret, quorſum iſta prominent. Minorum autem ſurculorum lacerationes nequeunt contingere, niſi ſimul reliqua ſubſtantia uteri, cui immerſi jacent, diſſolvatur. Sique vel maxime unum vel alterum exiguum vas ſolum, ſalvo manente ambiente uteri corpore, a ſanguine diſploderetur, tunc laberetur tamen humor non in

cavi-

cavitatem, quia iſta naturaliter in eam non hiant; ſed potius in matricis poroſam ſubſtantiam membraneo-muſculoſo-glanduloſam, & ibi ſuggillationem excitaret, ut in locis externis contuſis fieri videmus.

§. 17.

Competit igitur διαπήδησις hæmorrhagiæ καθ' ἐξοχὴν quia natura ubique in corpore, non ſolum ad transmiſſionem ſanguinis arterioſi in venas, ſed etiam ad ſecretionem bilis, ſalivæ, urinæ, & lactis a MSea eadem utitur, ſufficiuntque hoc loco pori uteri ampliati, ut per eos, tanquam per filtrum vel colum, ſanguis, ex arteriis minutiſſimis in venas alias ſurſum reprimendus, huc urgeatur: id quod tanto expeditius contingit, quia res naturales pariter ac non naturales humores ad fluxum magis aptos reddiderunt.

§. 18.

Ex naturalibus adeſt ætas juvenilis, & temperamentum ejusmodi, quod multum & mobilem, ſimulque ad acredinem pronum ſanguinem notat. His accedunt aër æſtivus, vinum, motus corporis, aromata, quæ motum cum inteſtinum, tum localem MS. inſigniter promoverunt, & tot ſymptomatis, in caſu enarratis, originem dederunt.

§. 19.

Ex his alia ſanguinis intemperiem & motum vitioſum, alia defectum ejus ſui autores agnoſcunt. Prioris ordinis ſunt calor totius corporis auctior, hinc dolor iliorum, dorſi atque ventris, una cum horripilationibus & ſomno turbulento, humorum partim fermentationem & orgaſmon, partim ab his & acrimonia irritante natas tenſiones, roſiones & ſpaſmodicas contractiones indicantes.

§. 20.

Reliqua ſunt poſterioris ordinis. Lac enim evaneſcit, quia materia, ex qua, ipſi ſubtrahitur, ut mammæ concidant; dum nihil ſupereſt, quod poros glandularum, & vaſa ſanguinis, lactisque tubulos turgere facit. Facies inſuper pallet, corpus tremit, oculi caligant, caput rotatur, ventriculus nihil appetit; quia cum ſanguine ſpiritus, per inferiora exturbati, ſuperiores regiones, totamque machinam nativo robore atque vigore defraudatam relinquunt, ut nec cutis vivido colore tingatur amplius, nec motus organa corpus in æquilibrio ſuſtineant, nec ſenſuum nervi ab objectis ſatis afficiantur, aut ſpiritus animales recte per poros cerebri

bri procedant, naturalesque functiones continuari & indigentia alimenti ſignificari queant.

§. 21.

Illætabile igitur prognoſticon omnino ex hiſce circumſtantiis formari poſſet: cum omnis hæmorrhagia nimia vel ſubitaneum interitum adducere, vel ita tamen ægros debilitare ſoleat, ut cachexiæ, hydropi, apoplexiæ obnoxii redditi, tandem pereant; & in noſtra quidem affectus ideo durior exiſtat, quod puerperam, a partus laboribus jam debilem, aggreſſus ſit, & facultati animali pariter ac vitali manifeſtam vim inferre videatur. Enimvero mitiora fata promittunt ætas recens ægræ, corpusque antea ab ægritudinibus nondum corruptum, & quod per obſervationes, multoties repetitas, conſtet, ſequiorem ſexum non ſolum eadem facilitate reconvaleſcere, ac in morbos inciderat; ſed etiam felicius iſta damna, quæ, poſt enormes ſanguinis profuſiones, virorum corpora peſſundant, ex ſingulari naturæ beneficio ſuperare poſſe.

§. 22.

Sed maturanda tamen eſt curatio, & nihil prius jam habendum, quam ut ulterior effuſio vitalium humorum prohibeatur. Id quod contin-

get, *ſi acrimonia irritans & concitatior ſanguinis motus temperabuntur, naturæ conatus extraordinarii refrænabuntur, & ſimul viribus proſtratis proſpicietur.* Ubi non poſſumus non verbo, & ὡς ἐν παρόδῳ indicare, minus tuta hiſce indicationibus remedia eſſe, a Sydenlamio, loco ſupra citato, adverſus immodicum lochiorum fluxum ordinata; dum pro interno uſu vinum rubrum, cum aqua plantag. coctum & ſaccharo dulce redditum; pro olfactu autem galbanum, aſam fœtidam, caſtoreum, ſal ſuccini vol. ut & ſpir. ſal. ammon. commendat.

§. 25.

Poſſemus, curationis atque præſervationis gratia, multa ex aliorum libris huc afferre remedia; ſed ſatis hac vice erit, ſi D. D. Præſidis proceſſum, quem in ſananda noſtra ægra obſervavit, ex ejus diario cum B. L. communica verimus.

CVRATIONIS PROCESSVS
D. D. Præſidis.

§. 1.

Cum ex transgreſſionibus regularum diæteticarum, puerperis quietem & abſtinentiam ab iis rebus præcipientium, quæ humores nimis commo-

movere, acrioresque reddere queunt, omnis in præſente ægra calamitas originem haberet, merito a juſta diſpoſitione rerum nonnaturalium curationis initium fiebat.

§. 2.

Jam vero ingens corporis debilitas ægrotam ſatis firmiter in lecto detinebat, eratque aëris conſtitutio adeo temperata, ut nec de hac, nec motu, aut quiete quicquam monendum videretur. Reſtabat igitur, poſtquam ciborum acrium & vini noxæ ſatis explicatæ erant, ut inter paſſiones animi præcipue occaſiones iræ ac terroris vitandas eſſe diceretur. Quamvis enim per terrorem aliquando graviſſimæ hæmorrhagiæ ſufflaminatæ ſint, hujusque affectus & iræ miram & ſalutiferam efficaciam D. D. Præſes plus vice ſimplici in vomitu, diarrhœa, tuſſi, colica, ſtranguria, aliisque humorum vitiis deprehendiſſet: vix tamen conſultum videbatur, in noſtra aliquid tentare, cujus effectus a contraindicante, maxima ſcil penuria ſpirituum, dubius reddebatur; ne forſan ipſo morbo periculoſius remedium evaderet.

§. 3.

Ex chirurgia vix aliquid depromi poterat; quia

quia circumſtantes expectatione ſua agendi tempus fere inane prætermiſerant: niſi quod humeros, ulnas, digitos & crura vinculis ex betulinis virgulis ligaverant; ſed adeo laxe, ut arctior illorum conſtrictio, cum interpolata relaxatione, & locorum vinctorum mutatione, ſuadenda eſſet; ne, ſi forſan virtus iſchæma in hiſce viminibus mulierculaum fiduciæ non reſponderet, compreſſio tamen vaſorum & dolor naturam a motibus ſpasmodicis, hactenus verſus uterum directis, revocaret.

§. 5.

Admoverant quoque naribus acetum roſaceum & lavendulatum cum caſtoreo, & accendebant modo alam anſeris, modo pennas perdicis, modo fila ſulphurata; ut animi deliquia, & uteri aſcenſum formidabilem averterent. Genitalibus impoſuerat obſtetrix linteum duplicatum, aceto tepido imbutum, & carpo ſiniſtro hæmatitem, vix fabam æquantem, rubraque ſindone obvolutum, alligaverat; cui a Medico duo alii, ovi magnitudine, ſubſtituebantur, quos nudos frigidosque manibus ægra verſaret. Idque non ideo, quaſi hæc ferri minera peculiarem præ globis marmoreis, aut cryſtallinis, ipſisque ſilicibus, ſimili modo tractatis, in ſiſtendo

ſtendo ſanguine virtutem, quam quæ ex refrigeratione fluit, poſſideat: ſed ne in re adiaphora inveteratæ opinioni hominum, ex colore & nomine lapidis, ad facultates argumentantium, moroſe contradiceretur.

§. 6.

His itaque, excepto linteo cum aceto, & fumo ♁ris, in ſuo pretio relictis, ex fonte pharmaceutico ſequentia offerebantur:

℞. Corall. ppr. Oc. ♋. ppr. hæmatit. ppr. raſur. CC. ā. ʒß.
theriac. cœleſt. gr. iiij. el. cinn. citr. ā. ℈ß.
M. F. pulvis, S. Auf 6. mahl/des Morgens und Nachmittags / in beykom̃ender Miſtur zunehmen.

℞. ▽ plantag. veron. burſ. paſtor. acetoſ. ā. ℥j.
cord. H. S. frig. ℥ß.
Sir. de portul. de ſymphyt. Fern. ā. ʒj.
M. D. S. Miſtur zum Pulver.

℞. Tinct. antiphth. Gramm. ʒiij. D. S. Temperirende Tinctur, davon gegen Mittag und Schlaffenszeit 24. Tropffen in Biere zugeben.

℞. ▽ roſar. hyoſc. ā. ℥iß.
+ roſac. ℥j.
Sacch. ♄. ʒß.
⊕ ʒij. M. D. S.
Miſtur, damit ein 4fach Tuch Handbreit zubefeuchten/ und laulich unter das Creutz zulegen/ auch

bey anhaltender Hitze auf die Puls an Händen und in die Kniekehlen zubinden:

℞. Pingued. human. c. flor. verbaſc. & hyper. inſolat
℔ chamæm. aneth. . ā. ℥ij.
Ω aniſ. fœnic. carv. ā. gt. viij.
M. D. S. Vermiſcht Oel/ damit alle 2. Stunden der Unterleib/ Lenden und Schoos warm zu ſchmieren.

§. 7.

Cum inſuper ægra & adſtantes aliquid poſtularent, quod ſub titulo medicamenti confortantis ſubinde porrigeretur, & ex variis formulis tandem electuarium quoddam molle approbaretur, ſequens in officina præparabatur:

℞. Conſerv. roſ. antiq. menth. meliſſ. ā. ℥ij.
Diaſcord. ℨiß.
Corall. præpar. ℨj.
Spec. diamargarit. frig. cord. temperat. ā. ℈ß.
Sir. myrtini, cydon. ā. ℨij. M. D. in pyxide,
S. Stärckende Lattwerge/ davon offt eine Meſſerſpitze voll in Mund zunehmen/ und almählig zergehen zulaſſen.

§. 8.

Hiſce abſorbebatur acrimonia irritans, & ſopiebantur ſpiritus efferati, rigorque fibrarum demulcebatur, ut fluidum vitale intra limites ſuos naturales

turales conſiſteret, & irregulares naturæ conâtus re-miſſiores fierent, doloresque & cruentatio vitioſa ante diem 30 Aug. ceſſarent. Haud itaque opus erat hac vice, ultra hæc, quorum utilitatem, (pulveris inprimis & tincturæ) D.D. Præſes repetitis vicibus in uteri non modo, ſed narium quoque hæmorrhagia, ſputoque cruento voto reſpondentem deprehenderat, ad alia deſcendere, paſſim ab optimis autoribus allegata: inter quæ venerandus Dominus Parens meus creberrime, præ aliis internis, tincturam ſuam coralliorum, & traumaticam, inter externa autem adamantem ſub lingua, nec non aquam ſpermatis ranar. & ſambuc. c. ſacch. ſaturni & camphora ſcroto impoſitam, una cum bufone incinerato, & de collo ſuſpenſo, reliquis nil juvantibus, ſalutarem effectum ediḋiſſe expertus eſt.

§. 9.

Cum vero neque lac, nec vires, nec deſiderium comedendi redire vellent, & ex adverſo ſitis cum calore p. n. urgeret, viſusque debilis, & alvus dura eſſent, quapropter, præter continuationem pulveris & electuarii, ſupra deſcriptorum, pro externo uſu empl. de tacamahaca ad ſtomachi regionem, &

☿vivus, in calamo anſerino inter mammas ſuſpendendus, una cum ſeqq. commendabantur.

℞. M S. ʒiij. D. S. 30. Tropffen zu Mittage/ und gegen Schlaffenszeit / in Biere.

℞. Tinctur. roſar. compoſ. (ex fl. roſ. rubr. viol. papav. errat. borrag. bugloſſ. c. phlegmate clyſſi ♁ acidulo paratæ) ʒß. D. S.

Tinctur wieder den Durſt/ davon 50 oder 60 Tropffen in jedes Maas Bier zulaſſen.

§. 10.

Alvus ſemel per ſuppoſitorium ex ſapone, & vaporem decocti braſſicæ recluſa, poſtmodum quotidie ingeſtis reſpondebat, adjuta ſine dubio a tinctura modo memorata, quæ alias in febribus ſitim compeſcere, & ſimul ventrem apertam ſervare ſolet. Aberat autem die 6. Septembris omnis calor p. n. nec ægra, niſi de lactis & appetitus defectu conquerebatur. Hujus igitur excitandi gratia, elixir ſtomachicum, ad Mynſichtiani exemplum paratum; illius vero reſtituendi cauſa, pulvis ex lacte lunæ & cryſtallo montana compoſitus porrigebantur.

D. S. L. H. E. G.